



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Iudicium Philippi Melancthonis, de libro Capituli scripto contra
Reformationem Reuerendissimi Archiepiscopi

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315



DE LIBRO CAPITVLI

COLONIENSIS SCRIPTO CONTRA
REFORMATIONEM REVERENDISS.

ARCHIEPISCOPI, IVDICIUM

Ph. Melancthonis.



LIBER Capituli Coloniensis non proponit aliquam correctionem vllius abusus. Imò manifestos furores Idololatrias adhuc defendit, inquit plus valere orationem ad certas statuas, &c. Nec aliud quidquam agit, nisi vt arrodatur, taxetur, cauilletur vbicunque potest, qualicumque pretextu Reformationem Reuerendiss. Archiepiscopi. Ac satis manifeste apparet Capitulum illud nec veritatem querere, nec velle consilere saluti animarum, nec velle vllius abusus correctionem admittere, sed tantum stabilire præsentem formam ceremoniarum, doctrinæ, & statuum, quasi nihil habeant vicij.

Cùm igitur prorsus ab omni Reformatione abhorreant, cogitandum est pio Principi, vt populi saluti consulat. Dentur pij Pastores rudi populo, quod necessarium esse, manifestum est. Nunc enim ferè vbique, in iis locis, in quibus purior doctrina Euangelij non traditur, aut nulli sunt Concionatores, aut sunt nugatores, qui conciones consumunt, in defensione inutilium Ceremoniarum, & abusu, non dicunt de rebus necessariis, de vera inuocatione æterni Dei, per fidem in filium Mediatorem, de pœnitentia vera, de vero usu Sacramentorum. Sed relinquunt populum in Ethnicis opinionibus. Hic certè omnes Gubernatores, de gloria Dei, & salute hominum sollicitos esse oportuit.

Cùm autem Liber Capituli Coloniensis conetur flagiciosos abusus omnes, miris fucis ornare, & verè quærat excusationes in peccatis, vt Psalmus dicit, fuci illi breuiter ostendendi sunt, vt pius Lector consideratis fontibus iudicare possit, quid sit amplectendum, aut fugiendum.

Est autem hoc fundamentum, cui totum ædificium Liber Capituli imponitur. Non tantum tradita in scriptis Prophetis & Apostolicis, sed etiam tradita sine scriptis, communi consensu, amplectenda sunt, citant Ireneum, Quid si non haberemus literas? &c.

Respondeo planissimè & simplicissimè. Propositio illa non est vera, de his quæ pugnant cum scriptis Prophetis & Apostolicis. Deus se patefecit voce sua, & voci tribuit certum testimonium, eamque literis includit, ut doctrina esset certa, Et de his scriptis dicitur, si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Ideò ex hoc ipso scripto iudicandum est. Et cū apparet manifestè pugnare aliquid cum hoc scripto, reiiciendum est: Vt quia Alcoranum manifestè pugnat cum scriptis Euangelis, & ea reiicit, damnari ipsum Alcoranum necesse est.

Alligauit Deus suam Ecclesiam, ad scripta Prophetarum & Apostolorum, & clarè pronuntiat illos cœtus, qui non amplectuntur hos Libros Prophetarum & Apostolorum, non esse suam Ecclesiam. Hæc hypothesis verissima est. Nam si etiam alij cœtus sunt Ecclesia Dei, tunc omnes gentium religiones subtilibus fucis excusari possunt, sicut nunc Capitulum pingit horrendos abusus Missarum, & Inuocationes mortuorum.

Nos autem illos errores in doctrina Monachorum oppugnamus, qui manifestè pugnant, cum scripto Euangelio. Ideò plenam & perspicuam causam habemus, ut si quis dicat, communem consensum Ecclesiæ esse, Indulgentiis Pontificiis liberari animas ex Purgatorio, reclamamus & dicimus, hunc articulum pugnare, cum scripto Euangelio manifestè, quia textus dicit, *Quicquid solueritis super terram,* &c. Non ait solui mortuos. Vbi igitur pugnare aliquem articulum cum scripto Euangelio, non dubium est, anteferendum esse scriptum Euangelium, quoquo modo orientur, aut amplificentur præconia communis consensus, aut vetustæ traditionis sine scripto.

Nec Liber Capituli vexat hanc nostram sententiam, videlicet pugnantia cum scripto Euangelio reiicienda esse.

Dicimus autem pugnare cum Euangelio scripto illos errores doctrinæ Monachorum quos reprehendimus, ut manifestè pugnant cum Euangelio. Hæc deliria, quod opus Sacerdotis Missam celebrantis mereatur facienti & aliis remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato.

Item quod Sacerdoti non liceat ducere uxorem, quod opera traditionum humanarum sint cultus Dei, perfectiones, &c.

Item quod homines mortui sint inuocandi, quot exaudiant & iudicent motus cordium, quod sint datores sanitatis, &c.

Item quod homo possit legi Dei satisfacere, quod sit iustus propter propriam legis impletionem, quod debeat dubitare de remissione peccatorum, quod concupiscentia non sit malum pugnans cum lege Dei, &c.

Non mouemus certamen de rebus paruis, aut mediis, sed illa quæ pugnant cum Euangelio scripto. Volumus tolli ex Ecclesia. Ideò longa illa declamatio Capituli nos non lædit nec facit ad propositum certamen.

Deinde iniuriâ nobis faciūt, quod aiunt nos nolle amplecti tradita per synodos

synodos adprobatas, cum in articulo de Trinitate clarè præcipiat Liber Reformationis ut ille articulus doceatur iuxta Synodi Nicenæ, Cōstantinopolitanæ, Ephesinæ Chalcedonenfis testimonia. Nam & nos vetera testimonia certa autoritate tradita amamus & toto pectore amplectimur, scimus probatos authores vetustissimos accepisse ab Apostolis perspicuam declarationem de Filio Dei, & de Spiritu Sancto, quod verbum apud Iohannem cum ait, *In principio erat verbum*, significet personam scilicet filium Dei, quod spiritus significet personam ubi dicitur, *dabo alium paracletum, &c.*

Gaudemus extare in Ecclesia vetera testimonia certa autoritate tradita, ut per Irenæum auditorem Polycarpi & per synodos Antiochenam & Nicænam.

Audimus has declarationes & amplectimur, credimus autem ipsum articulum propter verbum Dei scriptum, in quo si quis sine cauillatione nativam sententiam quærat, videbit hoc ipsum dixisse scriptorem quod Irenæus aut Synodi enarrant.

Recipimus ergo & tradita per scriptores non pugnantia cum scripto Euangelio, sed habentia testimonium in ipso Euangelio, Ecclesia habet donum interpretationis, sed non comminiscitur interpretationes pugnantes cum verbis scripti, aut cum articulis fidei. *Sit*, inquit Paulus, *prophetia*, id est interpretatio, *sit analogia fidei*, id est congruat cum articulis fidei, qui certè in scripto verbo testimonium habent.

Allegant Basilium, quod Articulum de Spiritu S. defenderit, allegata veterum Ecclesiarum sententia. Placet audire veteris Ecclesiæ testimonia de omnibus articulis fidei & ceremoniis: Sed illa quæ non pugnant cum scripto Euangelio.

Audienda est Ecclesia tanquam doctrix, sed fides nititur voce Dei non humana autoritate. Præterea neque hoc verum est errores quos liber capituli defendit habere primæ & puræ Ecclesiæ testimonia.

Omnibus notum est in Ecclesia puriore circiter trecentos annos tantum fuisse communes missas, aliquot unà communicantibus. Omnibus manifestum idololatricum decretum de Transsubstantiatione & festo corporis Christi recens esse. Omnibus notum est statuas & concursus ad statuas ethnicos furores esse qui & si fuerunt ferè omnibus temporibus, tamen certè prima Ecclesia & purior ab eis abhorruit. Ideò falso prætexitur ab eis vetusta autoritas. Scio colligi exempla pauca priuatarum missarum ex antiquitate, scio allegari veteres qui etiam inuocarint sanctos. Sed illa femina fuerunt magnorum malorum, quæ nunc non ad stabiliendos errores alleganda erant, sed potius extirpanda erant. Semper enim spargit diabolus aliquid vitiosorum rituum in Ecclesiam. Sicut nostræ Ecclesiæ nisi vigilent pastores alias aliis locis aliquo contagio polluuntur.

Humana infirmitas ignara veræ inuocationis & verorum

exercitiorum fidei prona est ad superstitiones, postea homines avari propter quæstum defendunt & quærunt callidas excusationes. Sicut liber Capituli fingit declarationem Cantici *Salve Regina*. Si sic ludere licet possum pulcherrima specie Ethnicos cultus excusare. Socrates, Plato, Cicero, Xenophon, suas norant statuas non esse deos, norant vnam esse æternam mentem causam boni in natura, vt definit Plato Deum. Deinde cogitabant hunc Deum signis aliquibus colendum esse, & eius facultates, quia nemo vnus complecti omnes posset, per partes agnoscendas & celebrandas esse. Palladem igitur colebant, id est vnum æternum numen dans sapientiam, reatricem societatis humanæ. Colebant Cererem, id est vnum æternum numen, sæcundans terram pulcherrimo ordine. Colebant Phœbum, id est, vnum æternum numen à quo lux orta est Solis, & hic ordinatissimus cursus institutus est, quo vices dierum & noctium, hyemis & æstatis facit. Et beneficia certi generis petebant in illis cultibus qua eorum beneficiorum mentionem faciebant. Sic intellecta, inquires, Ethnica religio quid habet vicij? Plurimum quia Deus non aliter quam sicut se patefecit vult agnosci. Non colitur sine verbo quod ipse tradidit. Secundo voluntas de reconciliatione semper manet ignota omnibus quantumlibet sapientibus ignorantibus promissionem. Cato norat esse Deum rerum conditorem, iustum, curantem Imperia. Sed cum se in causa iustiore deserui videret, miratur ipse Dei consilium, & se exaudiri negat. Obruitur ergo dubitatione infinita, an curet Deus humana, an exaudiat, quos cur exaudiat, agnoscit etiam se aliqua vicia habere, propter quæ non exaudiendus sit. Talis animus non potest inuocare Deum. Ideò Ethnici ignari euangelij, quis sit Deus, cur exaudiat, quomodo condonet delicta, vnde sint calamitates humanæ, quare iusti etiam premanur calamitatibus, sine hac doctrina nequaquam possunt ad Deum accedere, aut verum Deum alloqui, aut voluntatem eius agnoscere.

Retinendum est igitur verbum Dei, & ille Deus inuocandus est, qui se hoc verbo suo patefecit, & statuendum est, hanc esse eius voluntatem, quam in verbo suo expressit.

Magna astutia Diabolus conatur stabilire hanc persuasionem fingi licere cultus Dei, non curandam esse vocem Dei & scriptum Euangelium, sed anteferenda hominum iudicia, longi temporis consuetudinem.

Et excogitatae sunt artificiosæ præstigiæ, citantur Patres, veteres canones, etsi sæpe falsò allegantur, tamen horum nominum & antiquitatis reuerentia multos mouet.

Nos aduersus has insidias opponamus scriptum Euangelium & Antiquitatis incorruptæ testimonia, dicamus quod res est Ecclesiam alligatam esse ad verbum Dei. Non admittamus fucos & glossas quales sunt confictæ de cantilena, *Salus Regina*, Item de Canone Missæ, &c.

Nam

Nam verba ipsa pugnant cum glossis, & sunt, vt dicitur, protestationes contrariæ factis, imo sæpe & ipsæ glossæ sunt falsæ, & qualescunque sunt, præstigiæ sunt, abducentes à verbo Dei. Inuenimus autem dictum illud. *Lucerna pedibus meis, verbum tuum.*

De secundo Fundamento.

Aliud fundamentum in operis exordio etiam addunt. Motis discordiis nihil ante determinationem Romanæ sedis aut legitimæ Synodi in recepta consuetudine mutandum est, Ergo & nunc expectare Episcopi & principes, Romanæ sedis aut legitimæ Synodi determinationem debebant.

Respondeo ad Antecedens, verum est antecedens, cum quæstio, est de rebus indifferentibus, vt de die Paschatis erant controuersiæ, sed de doctrina necessaria seu articulis fidei nequaquam verum est, vt prædicantibus Apostolis nemo in populo Iudaico expectare debuit decisionem Collegij Sacerdotum regnantium in populo. Sic prædicantibus Prophetis contra idola, omnes debebant idola fugere, non expectato iudicio Pontificis & Sacerdotum. Sic cum Augustinus refutare inciperet Pelagianos errores, magna pars doctorum & Ecclesiæ sequebantur Philosophiam Origenis, & amiserat veram doctrinam de iustitia fidei. Hic non expectata Synodo pij amplecti debebant doctrinam meliorem, denique manifesta res est, vbiunque & quocunque tempore agnoscerimus errorem in aliquo articulo fidei, aut opere, vt in cultu idolorum, mox error obuii debet, non expectata vllius hominis autoritate, quia hoc mandatum est æternum & immutabile. *Non habebis Deos alienos.* Item, *Hunc audite.* Item, *oportet Deo magis obedire quam hominibus.*

Zach. 10. dicitur, *Super Pastores iratus est furor meus.* Hanc concionem nunc quoque audiant Pastores qui præcipue stabiliunt idola. Vbi plus est manifestæ idolatriæ quam in ipsa vrbe Roma. Et tot iam annos frustra flagitata est Synodus.

Quare frustra iubet Capitulum Coloniense expectare Romanæ sedis aut Synodorum iudicia. Deinde homines periti aulicorum consiliorum satis intelligunt quod spectet talis oratio quæ iubet expectari Synodos. *Arte res extrahitur, & mora neclitur, vt eludantur pia consilia.*

Matth. 18. Clarè dicitur, *Si oculus scandalizat te, erue eum,* quæ sententia præcipit, ne sequamur oculos, id est, doctores, qui docent pugnantia cum Euangelio, Etiam si totus mundus amplecteretur articulum pugnantem cum articulis fidei aut mandatis Dei, & tantum vnus homo reliquus esset, qui errorem intelligeret, hunc necesse esset profiteri veram sententiam & discedere ab aliorum iudiciis. Hoc cum non dubium sit, quid igitur nugatur Liber Capituli, expectandam esse determinationem Romanæ sedis. Ne illi quidem expectarunt, qui in eo libro articulum de iustificatione scripserunt longè aliter quam sentiunt illi qui se iactitant sentire cum Romana sede. Ex nostra sententia sum-

plerunt, quod dicunt, etsi nos criminantur non omnia de Iustificatione complexos esse, quam criminationem falsam esse liber ipse ostendit? Recitavi breuiter duo fundamenta libri, quibus impedire emendationem conatur. Sed cum omnes boni viri & amantes Ecclesiam ac veritatem Dei palam videant, illa fundamenta esse inanes præstigijs & sophismata conficta ut obruatur lux veritatis, iustissimum est

III.

Postea incipiunt singula dicta in Libro Reformationis calumniari. Multa autem volumina implenda essent, si omnes cauillationes refutare vellemus. Sed pleræque ita sunt inanes & ieiunæ, ut Lector mediocris vanitatem earum facillè per sese coarguere possit, qualis est hæc calumnia.

Nos toties diximus de omnibus articulis fidei & mandatis Dei docendos esse homines. Et alicubi posuimus hæc verba. Hanc esse summam doctrinæ Ecclesiasticæ, & ad eam referendas esse omnes conciones, videlicet, prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum, sicut Christus Lucae ultimo summam doctrinæ complectitur. Et est erudita summa causas finales omnium articulorum & dogmatum fidei monstrans, hic isti sycophantæ vociferantur nos mutilare doctrinam Ecclesiæ, si tantum de pœnitentiâ & remissione peccatorum dicendum sit. Alio loco de precatione dicunt nos nolle dici precationes adhuc finem ut Deus honore adficiatur, cum nostra sententia hæc sit recitationem verborum & illam vsitatam *εὐχαριστίας* non esse cultum Dei, ex opere operato, ut ipsi loquuntur.

Talibus calumnijs vbique refertus est Liber Capituli, quare pius Lector cogitet an autores eius scripti quærunt aut ament veritatem.

Multas etiam controuersias de nouo mouent, quas nos consultò præteriuimus. Sæpæ etiam falsa nobis tribuunt. Nusquam in Libro Reformationis contendimus an vicium reliquum in renatis propriè peccatū dicatur: Totam hanc quæstionem præteriuimus diligenter, ut apparet in Loco iustificationis. At nunc isti sycophantæ longam declamationem instituerunt de ea disputatione. De qua breuiter dico: si volunt reliquias caliginis contumaciæ in renatis non esse malum pugnant cum lege Dei, errant flagitiosè. Et manifesta est sententia, ex 7. capite ad Roma.

Eodem loco calumniantur nos, dicunt nos confirmare Manichæos furores, damnare opus creatum Dei. Hæc etiam est manifesta iniuria, ut testatur in Lib. Reformationis, Articulus de causa peccati.

Nec dicimus, Timorem seruilem inutilem esse, Imò de disciplina clarè dictum est, diuinitus eam postulari, & violationem disciplinæ horribilibus præsentibus & æternis pœnis puniri. Postea nugacissimas nugæ dicunt, constituunt duas vias salutis, primum omnia remitti peccata propter Christum in baptismo, postea labetes debere per Eleemosynas

quærere

quærere remissionem. Ad hoc allegant Cyprianum, ac memini ea verba in quodam loco esse apud Cyprianum siue liber est *uirtus* siue supposititiuus, hoc ipsum dictum reprehendendum est, omnibus conuerlis ad Deum, quocumque tempore quærenda est remissio peccatorum & accipienda fide, id est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ.

Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Nec merentur elemosynæ aut vlla nostra opera remissionem culpæ. Si aliter sentiunt illi scriptores in capitulo Colonienfi, dico eos contumelia adficere Christum & Euangelium. Valdè multa prætereo in scripto Colonienfi, Sed præcipua attingo, vt lector candidus & ingenuus videat, quid dicant in præcipuis locis.

IV.

De Iustificatione.

INiuriam nobis faciunt cum dicunt nos non complecti regenerationem per Spiritum Sanctum in Conuersione hominis. Et quod eam complexi simus, Liber ipse Reformationis testabitur. Deinde etsi ipsi ex nostris fontibus sumpserunt articulum de Iustificatione, tamen nos calumniantur, dicunt nos omittere regenerationem, item nihil dicere de fiducia bonæ conscientiæ, corrumpunt & illa quæ de fiducia bonæ conscientiæ, dicenda sunt.

Ego vt non agam contentiosè, concedo eos de Iustificatione nihil admodum discrepare à vera & nostra sententia. Sed ipsi postremo iterum inuoluunt eam, & aliàs sæpe dicunt contraria huic ipsi articulo: sicut paulò antè dixerunt, quærendam esse remissionem peccatorum per elemosynas.

Item hic ponunt duas fiducias, fiduciam remissionis peccatorum, & fiduciam bonæ conscientiæ. Sed non discernunt. Fiducia bonæ conscientiæ non statuit de acceptatione personæ, sed tantum singulorum operum. Et est restricta ad hoc, quantum nos iudicare possumus, seu quantum nos conscij nobis sumus. Vt Petrus habet fiduciam bonæ conscientiæ quod non prodiderit Christum, sed non propterea statuit personam placere, vt Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Hac re explicata postea congruit hic articulus in scripto Colonienfi cum vera sententia & nostra. Fortassis hic homo contentiosus & quærens certamina de formis loquendi, magnas tragœdias mouere posset. Sed de re loquor, non quæro infinitas rixas. Ipsi clarè fatentur illud Formulæ Iustificationis quo niti debemus, esse imputationem iustitiæ, quapropter Christum placemus. Hoc cum confitentur, re congruunt nobiscum, verba eorum hæc sunt: *daruff vvir bekehrn sollen.*

V.

De usu integro Sacramenti multa colligunt, quibus omnibus oppono vnū

hoc dictum. Illa omnia collecta non probant prohiberi posse usum integri sacramenti prohibitionem esse iniustam manifestum est.

Nec nos damnamus Ecclesiam utentem vna specie, Sed damnamus prohibentes integrum usum, & addentes *sanctiam*, & complectentes multorum aliorum articulorum verissimorum & præcipuorum oppugnationem. Hos prohibentes & oppugnantes veritatem dicimus non esse membra Ecclesiæ.

Sub quibus tamen multi homines sunt membra Ecclesiæ Dei vel firma vel infirma, sicut sub Anna & Caipha erant Simeon, Zacharias, Maria, Ioseph, Elizabeth, & alij innumerabiles, quamuis alij aliis plus lucis haberent. Manet in Ecclesia multiplex infirmitas, sed discernenda est ab infirmitate, furor eorum qui scientes veritatem oppugnant, & peccant aduersus Spiritum Sanctum.

Litigant & de Transsubstantiatione, quam sciunt esse nouum inuentum, & manifesta esse testimonia antiquitatis contra Transsubstantiationem. Clarè dicit Irenæus, *Eucharistia constat duabus rebus terrena & caelesti*. Et Epiphanius: *Cibus est panis, sed virtus Dei adest ad viuificationem per fidem & efficaciam*.

Item de reseruatione & circumgestatione & similibus spectaculis confirmant manifestam idolatriam. Nam certissimum est Deum non esse obligandum ad vllam creaturam ad quam se non alligauit verbo suo. Imò hæc est omnium gentium idololatria, quod Deum alligauerunt ad statuas: id est, senserunt, Deum magis exaudire pro frugibus ad statuam Cereris, & tali cultu exhibito, quàm aliàs. Magis exaudire, pro victoria, ad statuam Martis, & exhibito tali cultu, quàm aliàs.

Non autem alligauit se Christus ad panem extra hanc actionem, nec adest propter panem, idè ista spectacula circumgestandi & adorandi panem, execranda sunt.

Profecto ingenti dolore omnes pij affici debent, quod tantus error, tantæ tenebræ, tanta contumelia Dei in Ecclesia, per illos ipsos qui errorem intelligant, stabilitur.

VI.

De missa contendunt quod sit sacrificium, & excogitarunt quatuor res offerri I. Panem & vinum ante consecrationem. Secunda gratiarum actionem III. Christum, IV. Ecclesiam.

Non est disputatio nisi de tertio. Solus Filius Dei ipse sese obtulit.

De hoc est quæstio, an sacrificuli offerunt Filium Dei, item an hoc suo sacrificio mereantur facientibus, & aliis remissionem peccatorum, aut alia bona, victorias, liberationem ex pœnis Purgatorij, &c.

Quanquam autem valdè multa congesserunt scriptores capituli, tamen hæc omnia non probant missam tale sacrificium esse, quod mereatur aliis remissionem peccatorum aut alia bona.

De remissione peccatorum manifestum est: quia articulus fidei clarè dicit,

dicit, *Iustus fide sua vivit.*

De aliis bonis etiam manifestum: quia est institutum sacramentum propter res spirituales, non propter bona corporalia.

Multò minus ad liberandos mortuos. Quia institutum est ad fidem viventium exercendam. Veritas est simplex & plana, & nostra fundamenta sunt perspicua. Econtra perspicuus est abusus, quod populus missas sibi fieri curat, & curavit, ut id opus mereatur vel gratiam, vel victorias, vel foelicem navigationem, vel similia.

Hæc quoquo modo fucantur, tamen sunt impia & ethnica & abusus. Ideo gubernatores debent hos abusus tollere, doctores rectè docere de usu Cœnæ Domini, quodd sit sumenda ad excitandam fidem.

Deinde hoc quoque falsum est, quod declamitant in libro Capituli, quod virtutem conferat ipsum sacrificium sacrificanti, quasi ex opere operato proficit, sicut est communis persuasio. Fingunt prodesse Missam sacerdotis mœchi, populo aut certis hominibus, pro quibus fit, & mereri illis ex opere operato gratiam, bona corporalia, liberationem ex purgatorio.

Hos manifestos abusus confirmant illi novi fuci in libro Capituli, qui nihil sunt nisi inanes præstigiæ verborum, quas Paulus caueri iussit. Res spectentur, quid ubique toto orbe terrarum fiat, qua mète, quo intellectu, quo fine, celebret Missas hæc ingens multitudo sacrificulorum indoctorum & pollutorum. Videant quid in ipsa Colonia, quid Lutetia, quid Romæ, Venetiis, fiat, quæ sit intentio, quæ voluntas sacrificantium.

Et fuisse antiquum morem alium, ipsi scriptores Capituli norunt, fuisse vnam communem missam, in qua pij non contaminati manifestis delictis vnà sumebant. Talem fuisse morem certum est, etiam si nunc quædam exempla priuatarum missarum ex Africa adferunt, obscura & contraria publico mori eius ætatis, quæ fuerunt semina maiorum abusuum.

Vituperant etiam formam, quod non addatur precatio, ut fiat corpus Christi. An putant fieri corpus propter sacrificuli preces? fit propter ordinationem Christi, sicut certum est adesse spiritum S. cum administratur baptismus. Adest autem propter institutionem & ordinationem, ita huic sacramento adest Christus in actione quam instituit propter suam ordinationem. Ideò non iustè vituperant hanc piam communionem ac sumptionem Sacramenti quam proponit reformatio Reuerendiss. Electoris Coloniensis. De Inuocatione Sanctorum extat eruditè, piè & copiosè scriptus liber D. Buceri, qui refutat omnia quæ scriptores Capituli collegerunt. De Confessione acerrimè dimicant, & reformatio Reuerendissimi, retinet priuatam absolutionem & aliquam confessionem ac enumerationem. Sed Capitulo hæc non satisfaciunt, disputant Claves esse potestatem arcanæ inquisitionis, hoc falsum est simpliciter. Et possunt non solùm ex Scripturis diuinis, sed etiam ex veteribus scriptoribus multa contra hoc nouum & subtile mendacium proferri.

Habet Ecclesia iurisdictionem, & iudicat de manifestis seu illis quæ possunt per testes conuinci. Vt textus dicit, *tu quis es, qui iudicas alienam conscientiam, &c.* Item, *Si peccauerit in te frater tuus, argue eum, &c.* In te inquit, quod est te sciante. Item vsitatè dicitur, de Occultis non iudicat Ecclesia. Ac profecto magna audacia est, quod clauem interpretantur potestatem arcanae inquisitionis.

Sed hæc aliàs copiosius.

Cùm autem nihil cedant de votis & de cœlibatu, & videant manifestas turpitudines, cogitandum est pro Archiepiscopo, an propter horum iniustam pertinaciam, salus aliorum negligenda sit.

Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi regat & emendet, & seruet sibi Ecclesiam suam, quæ eum in hac vita, & in vita æterna verè celebret. Amen.

FINIS.

